



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

De festis Fori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

SS 3

## DE FESTIS FORI.

~~Quae festa in foro ex praecepto~~vid. degen. Paul: festos dies <sup>celebranda.</sup> usq; ad finē numeri 2

**U**Rbanus Papa VIII. idib. Septemb. 1642. ad relationes diversorum  
 Archi-Episcoporum & Episcoporum factas, quod in dioecesibus  
 multitudo festorum devotione atque consuetudine novā ita crevisset,  
 ut multi dubitarent quānam ex praecepto, quāve ex libera voluntate  
 essent servanda: pietatis etiam fervor non solum ob multitudinem re-  
 pesceret, sed & pauperum, quod ad quotidiani victūs laboribus suis  
 comparandi necessitatem damnosa existeret, clamor frequens audire-  
 tur decrevit infra scriptos dies festos solum ex praecepto colendos esse,  
 utpote quos universalis Ecclesiae consuetudo approbasset, scilicet:

Dominicis totius anni dies.

Nativitat. D. N. JESU CHRISTI.

Circumcisionis.

Epiphaniae.

Resurrectionis, cum duabus sequentibus feriis.

Ascensionis.

Pentecostes, cum duabus sequentibus feriis.

Sanctissimae Trinitatis.

Solennitatis Corporis Christi.

Inventionis S. Crucis.

Deiparae Virg. Purificat. Annunt. Assumpt.

*Visitat.*  
 & Nativitat. *praesent.* Concept. Immaculatae  
 S. Michaelis Archangeli Dedicacionis. *B. M. Virg.*

Nativitatis S. Joannis Baptistae.

Apostolorum Christi Domini, SS. Petri &amp; Pauli. f

S. Andreae. S. Jacobi. S. Joannis. S. Thomae.

f Conversionis S. Pauli

SS. Phi-

SS. Philippi & Jacobi. S. Bartholomæi. S. Matthæi.

SS. Simonis & Judæ. S. Matthiæ.

S. Stephani Protomartyris.

SS. Innocentium. S. Mariæ Magdalene

S. Laurentii Martyris.

S. Sylvestri Papæ & Confessoris.

S. Josephi Sponsi Deiparæ. <sup>quod celebrat in hac Diocesi</sup> anno 1075. in patro-  
num Rom. Imperii assumpti. <sup>Lactare</sup>

S. Annæ matris Deiparæ. <sup>quod celebrat in hac patria postri-</sup>  
die B. V. Assumpt. <sup>S. Lindgeri Patroni Diocesis</sup>

Omnium SS. Solennitatis.

Adhæc <sup>post pascha</sup> Conceptionis Immaculat. B. M. Virg.

ex monitu invictissimi religiosissime Imperatoris *Ferdi-*  
*nandi II.* in perpetuam victoriarum memoriam contra hæreses  
Imperii singularis patronæ, quod festum sicut per Diocesim Colonien-  
sem solennius celebratur: ita etiam ex Emi Archi-Episcopi Trevirensis  
*Caroli Caspari &c.* piiss. memoriæ ordinatione in hac dice-  
cesi Trevirensi celebratur in foro solenniter, attento quòd juxta Ur-  
bani VIII. constitutionem, principalior patronus in foro festivè cele-  
brari possit: hujus autem Diocesæ Patronus S. Matthias inter festa  
Chori reperiatur, sicque numerus festorum respectu aliarum dicece-  
sium non adaugeatur.

*S. 2. Qualiter servanda sint Festa: & quæ ab*  
*observatione eorum excusent?*

**P**rimò abstinendum ab operibus servilibus, videlicet per integrum  
illum diem, incipitque à medio noctis usque ad alterum noctis me-  
dium, præterquam si quæ vel jure vel consuetudine permisa sint, quæ  
ratione concessum est diebus festis cibos coquere propter necessita-  
tem. Ad hoc propositum expedire visum fuit apponere Romæ datam.  
Sac. Congregat. Rituum declarationem.

CON-

**C**ongregatio censuit licere diebus festis dare operam rebus ad vitam necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum ac messium, & collectionis fructuum, vel si quæ necessitas urgeat, ac suadeat pietas. Cæterum quoniam verendum est, ne privatis affectibus domesticarumque rerum studio aliqui eò perducantur, ut hæc sacrorum Canonum indulgentiâ in aliis etiam casibus abutantur, iidem Patres Illustriss. adjiciunt ad ordinarii cujuscunque judicium ac censuram pertinere, ut dignoscat num verè ulla ex causis præscriptis subsit, propter quam liceat diebus festis rebus servilibus vacare, ut nec dierum festorum observantia ulla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permissa impediantur.

Hieron. Card. Matth.

**E**x quo patet quorundam parochorum gravis error dum ejusmodi judicium, seu censuram quando opera servilia in die festo liceant, sibi arrogat, gravior verò eorum qui absque causis prædictis, nec habitâ Ordinarii licentiâ, diebus festis famulos parochorum pro suis frugibus demetendis adhibuerunt. Pro locis tamen qui ultra diætam ab ordinariatus nostri Vicariis, distant, concedimus facultatem parochis si diebus qui festum præcedunt pluvia collectionem messis aut uvarum vel abductionem impedivisset, festo autem die aeris serenitas exoriatur, ut postquam quo ad officium divinum Ecclesiæ præcepto satisfactum fuerit, parochianis collectionem messis aut uvarum permittere possint.

possint. Inhibemus autem Parochis translationem quorundam festorum, eo fine à quibusdam ante hac malè practicatam.

**A**d hunc paragraphum, qualiter festa sint observanda? etiam pertinet, quod mercatus & nundinæ diebus festis exerceri non debeant, & ab Ordinario id prohiberi, & inobedientes puniri possint. Ad quod Constitut. Pii V. Papæ. quæ incipit. Cùm primum §. cum verò dierum festorum &c. sicut & sequens declaratio Sac. Congregat. occasione nundinarum Recanat. edita subserviunt.

*Præceptum de dominicis & festis diebus sanctificandis & observandis sub prætextu mercatum, nundinarum, & feriarum, nullatenus esse violandum. Cæterum his diebus licere Agasonibus ac aliis jumentorum vectoribus seu mercium conductoribus, bajulis & aliis hujusmodi servientibus ac ministris, sarcinas & onera nundinarum causâ exonera- re & deponere, inceptumque iter, missâ tamen prius auditâ, transeundo prosequi & continua- re. Non autem debere sarcinas componere & jumenta onerare ad iter de novo incipiendū. Neq; Mercatoribus aut aliis civibus & viato- ribus, iis diebus, etiâ clausis apothecis merces vèdere, emere aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria. Aut alia minuscula & modici momenti opera jã confecta & elaborata pro transeuntiū hospitem advenarū, & exter- norum urgenti & præsentanea necessitate & opportunitate. In quo partes erunt Episcopi*

*E e e* *propo-*

*propositis edictis providere ut in primis hi festi dies debitâ observatione colantur, simulque populorum eò confluentium necessitatibus, quantum sine divina offensione fieri potest, consulatur.*

**S**ecundò abstinendum est diebus festis magis quàm aliàs à peccatis & ab omnibus inordinatis & ad peccatum communiter inducentibus actibus, quales sunt commestationes, ludi, choreæ, saltationes, venationes, &c. nisi cum terminis moderationis & discretionis, honestæ recreationis causâ, & absque officii divini neglectu fiant.

**T**ertiò diebus istis vacandum maximè piis operibus, *etiam collectis* (seu eleemosynis) *quæ fiunt in Sanctos* <sup>1. Cor. 16</sup> (pauperes Christianos) missa integra ab omnibus fidelibus, qui rationis usum habent, audienda, cum præsentia non solum corporis, sed animi piâ intentione, nisi causâ justa ab ea auditione excuset. Monendus etiam populus (non autem cogendus) ut in parochiali Ecclesia sua missam audiat. Satisfacit enim si in Ecclesia Regularium audiat, juxta declarationem Leon. X. Papæ Romæ 13. Novemb. 1517.

**O**bligatio abstinendi ab operibus servilibus est sub peccato mortali: similiter & audiendi missam: à priori excusat necessitas publica aut pietas v. g. si quædam paranda sint ad communem festivitatem. A posteriore obligatione excusant impotentia spiritualis v. gr. si sis interdictus. Corporalis, aut moralis. Item consuetudo cum consensu Ecclesiæ seu Prælatorum introducta, qualis est, puerperæ usque ad introductionem, qui custodiunt castra, puerum, qui ob inquietudinem in templo quàm alios perturbet contineri non potest, aut domum, aut qui agris solatio sunt. &c.

<sup>sess. 25. cap. 21.</sup> **Postremò hic addenda est monitio Sac. Concilii Tridentini: de delectu ciborum, jejunio & diebus festis.**

*Insuper hortatur S. Synodus & per sanctissimum Dominum nostrum, atque Salvatoris adventum pastores omnes obtestatur, ut tanquàm boni milites,*

*milites, illa omnia, quæ S. Rom. Ecclesia omnium Ecclesiarum mater & magistra statuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis œcumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulo commendent, omniq; diligentia utantur ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus & jejunia vel etiã quæ faciunt ad pietatem augendam : ut dierum festorum devota & religiosa celebratio: admonentes populos crebro, obedire præpositis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient: qui verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.*

## DE OFFICII DIVINI UNIFORMITATE.

**I**N Ecclesia omnia honestè & secundum ordinem fiant: Lex est divina. Ordo autem potissimum con-

servatur, si utrobique officium divinum fiat juxta Missale, Breviarium, Agendaque Trevirensia: idcirco etsi Pastor pro sua privata devotione Breviario Rom. utatur, nihilominus Trevirensi oportebit eum esse instructum, cum in rubricis quò ad officium divinum, anticipationem, aut translationem quorundam festorum & jejunii dierum nonnunquam habeatur instructio specialis, quarum rubricarum neglectu, aut ignorantia, diffformes praxes inter dioeceseos nostræ parochias sunt animadversæ. Officium divinum eo tempore, quod parochianis in genere est commodius præsertim diebus dominicis, & festivis accuratè celebretur: hyemali, horâ nonâ, nisi alicubi filiales ita distarent, ut circa eam necdum adesse possent: æstivo horâ octavâ.

Ecc 2

In